Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26338
Copyright: Admont, Benediktinerstift

uirtus sancte compunctionis euexerit. adhuc tamen ei de uetustate
nascitur quod toleret. Unde et ipsi leuite pili radi precepti sunt.
non euelli. Rasis enim pilis in carne radices remanent
et crescunt iterum ut recidantur. quia magno quidem stu
dio superflue cogitationes amputande sunt. sed tamen funditus
amputari nequaquam possunt. Semper enim caro superflua ge
nerat. que semper spiritus ferro sollicitudinis recidat.

QVi habitant domos luteas.

qui terrenum habent fundamentum consumentur uelut a tinea. Lu
teas domus habitamus. quia in corporibus terrenis subsistimus.
Que bene Paulus considerans ait. Habemus thesaurum istum in ua
sis fictilibus. Et rursum. Scimus quia si terrestris domus nostra huius
habitationis dissoluatur. quod edificationem ex deo habemus
domum non manufactam. Terrenum quoque fundamentum est substantia car
nalis. quod in se psalmista sollicite perspexerat cum dicebat.
Non est occultatum os meum a te quod fecisti. et substantia mea in inferioribus terre.
Tinea autem de ueste nascitur. et eandem uestem de qua oritur orien
do corrumpit. Quasi quedam uero uestis anime caro est. Sed
hec nimirum uestis habet tineam suam. quia ab ipsa carnalis
temptatio oritur. ex qua laceratur. Quasi enim quadam sua tinea
uestis nostra consumitur. cum caro corruptibilis temptationem gig
nit. et per hanc ad interitum peruenit. Velut tinea homo consumitur.
cum de se oritur. unde conteratur. ac si aperte dicat. Si illi spiritus ex
se inmutabiles esse nequeunt. qui nulla carnis infirmitate
deprimuntur. qua temeritate se homines in bono permanere constantes
ex se estimant. quos in eo quod intellectus ad summa euehit. car
nalis infirmitas aggrauans. ita prepedit. ut per corruptionis
uitium in semetipsis habeant. unde ab intima nouitate ueteres